



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 93. Abusus in Anglia occasione Asylorum exorti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. cei ope a Faventinorum furore, qui e-  
 A.C. 1488. jus mortem exoptabant, ereptus fuisset.

## §. XCIII.

*Abusus in Anglia occasione Asylo-  
rum exorti.*

Cum ex frequentia impunitatum, quæ  
 in Anglia perfugii locis concedeban-  
 tur, manifesti exorirentur abusus, eos  
 diutius ac dissimulanter ferre periculosum  
 videbatur. Quippe promiscue omnes  
 cujuscunque criminis rei dummodo ad  
 sacri templi tutelam confugissent, Judi-  
 cum auctoritatem eludebant: Unde sin-  
 gulis ferme diebus rebelles, seditiosi, ho-  
 mines ex omni scelerum colluvie nati,  
 aut ære alieno plurimum gravati ad aras  
 confugere conspiciebantur, qui criminum  
 suorum impunitatem in hisce locis Deo  
 sacratis, certumque perfugium adepti  
 sunt, contra ipsas Dei leges, ac juris  
 præcepta ab ipsa divina justitia primitus  
 stabilita. Hæc igitur adeo expedita  
 impunitatis consequendæ facilitas tan-  
 dem degenerabat in maximam gravissi-  
 ma etiam scelera patrandi illecebram, a-  
 deo, ut nec Regum Majestas imo ne-  
 quidem Religionis Sanctitas ab atrocissi-  
 mis insultibus satis tuta esset. Tanto  
 igitur malo, ut Henricus VII. Angliæ  
 Rex opportuno obviaret remedio, nil in-  
 tenta-

tentatum reliquit; Cum vero de juribus Sæcul. XV.  
 Ecclesiæ Sedis Apostolicæ auctoritate A.C. 1488.  
 confirmatis ageretur, Rex hanc causam  
 ad ipsum Pontificem referre constituit,  
 hancque in rem tempore alias non con-  
 sueto Oratorem Romam ablegavit, cui  
 tamen, ne Angliæ Clerus rem edoctus  
 obluetaretur, genuinam legationis suæ  
 causam non aperuit, hoc duntaxat usus  
 obtentu, ut summum Pontificem certio-  
 rem redderet non solum de Filio recens  
 nato, qui Walliæ Princeps nominatus Bacon. in  
 erat, sed etiam de victoria adversus re- hist. Henric.  
 belles reportata, nec non de belli appa- VII.  
 ratu, quo Gallos impedire niteretur, ne  
 totam sibi Britanniam subjicerent, cum  
 non infimam illius partem jamjam Duci  
 suo eripuissent. His instructus Orator  
 ex Anglia proficiscitur, Romamque ve-  
 nit, amplioris mandati ignarus; jubeba-  
 tur enim literas, quibus asylorum caus-  
 sa ibidem pertractanda continebatur,  
 tunc primum aperire, cum Pontificem  
 secreto alloquendi copia ei data fuisset.  
 Quapropter dum publice audiebatur,  
 summo Pontifici nonnisi tres articulos  
 mox laudatos exposuit, in privato tamen  
 colloquio regias obtulit literas, in quibus  
 Henricus magna orationum vi Asylo-  
 rum abusus descripsit: Num vero ejus-  
 modi perfugii loca penitus aboleri petie-  
 rit, ignoratur, id certum tamen est, sal-  
Hist. Eccles. Tom. XXX.      B b    tem

Sæcul. XV. tem immoderata asyloꝝ privilegia,  
 A C. 1488. quæ jamjam invalescebant, ad Regis  
 preces fuisse revocata; exstat enim hanc  
 in rem Pontificis Bulla Regi inscripta,  
 quæ sequentes complectitur articulos.

## §. XCIV.

*Bulla Pontificis de restringendis asyloꝝ  
 privilegiis.*

I. Quicumque ex asyli loco, ad quem  
 confugerunt, ad perpetranda no-  
 va crimina vel ad prosequendum illud,  
 propter quod ad Ecclesiæ præsidium ac-  
 currerunt, inde exirent, non amplius re-  
 cipiantur, ac in perpetuam poenam asyli  
 beneficio priventur; eoquod indignum  
 esset, ut loci sanctitas criminibus patro-  
 cinium præbeat. II. Ære alieno grava-  
 ti, ut suorum creditorum exactiones  
 declinent, ad Templi tutelam confugien-  
 tes comprehendi, ac ordinariis justitiæ  
 poenis affici possunt, cum Ecclesia frau-  
 des fovere, aut damni reparatione, quæ  
 juste exigi potest, quemquam spoliare  
 nullatenus intendat. III. Læsæ Majes-  
 tatis reus, atque in asylum receptus, in-  
 de extrahi non poterit, Regi tamen in-  
 tegrum erit, ut talis diu noctuque vigili  
 oculo custodiatur, imo poterit etiam ju-  
 bere ac impedire, ne contra ejus obse-  
 quium verbis vel factis peccetur; non  
 enim